



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Vigesium Quintum. Encomium Marianum Trigesimum. Foederis  
Arca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

*susceptura, sed & sponsum habitura: adornaverat inquam multiplici decore virtutum, & gloria, tanto fortassis locupletius, quanto interiorius totum erat: omnis namq; gloria filie Regis ab intus in simbrijs aureis circumamicta varietatibus, domum enim Domini hujusmodi decebat sanctitudo & decor. Et hic decor eum invitavit ut intraret, illexit ut rediret: intrans benedictionem multiplicabat, sed rediens cumulabat, cum intraret homo natus est in ea, cum rediret Deus: glorificatus est in ea. Hec auctor citatus. Sed jam ad alia properemus.*

CAPUT VIGESIMUM  
QUINTUM.

*Encomium Marianum Trigesimum.*

FOEDERIS ARCA.

**I**Næstimabilia fuere olim beneficia quibus populum sibi dilectum Israëlitas existentes adhuc in Ægypto sub Pharaonis Regis jugo, & postmodum inde egresfos in deserto Deus affecit: præterquam enim quod per tot ostenta & prodigia eos inde eduxerit: Ægyptum tot plagis percutiundo, quarum tamen nulla attigit filios

Israël: præter hæc inquam egressis ipsis ex  
 Ægypto mox præcessit tanquã viæ dux in  
 columna ignis nocte, & nube per diẽ juxta  
 effatum Psaltis Regij Ps. 77. *Et deduxit eos  
 in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis:*  
 sed & mare rubrum coram eis divisit ut sta-  
 rent aquæ ad modum muri à dextris, & à  
 sinistris, ipsis illæsis transeuntibus: ægyptijs  
 verò mox aquis involventibus ut nec su-  
 peresset qui factum posteris nuntiaret:  
 quin etiam toties pavit eos in deserto, jam  
 cibum in cœlo confectum *manna* de cœlo  
 eis pluens, asserente  *Davide Ps. 77. Panem  
 cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit  
 homo*: jam educenseis aquam de petra,  
 carnum apponens & volucrum abundan-  
 tiam: cunctosque Reges Chananæorum je-  
 buseorum & gentium in circuitu existen-  
 tium coram eis prosternens. Hæc inquam  
 omnia & plurima alia eis collata beneficia  
 superat: quod ipse inter eos habitare digna-  
 tus sit: dum  *Moysi mandavit Exod. 25. facient  
 ait mihi sanctuarium, & habitabo in medio  
 eorum: Arcam de lignis Sethim compingite, cu-  
 jus longitudo habeat duos semis cubitos, & de-  
 aurabis auro purissimo intus & foris, ponesque  
 in Arca*

*in Arca testificationem quam dabo tibi.* Grande inquam hoc & maximum beneficium totum tamen *in figura contingebat illis*, non enim Deus in Arca præsens, sed in ea teste *Apost. ad Heb. 9.* nihil aliud erat quam tabulæ *Moysis* digito Dei scriptæ, Manna & virga *Aaronis* quæ fronderat: longe ergo, & in infinitum majus illud est beneficium dum in novo testamento non Arcam aliquam ligneam, aut ex lignis Sethim confectam, sed vivam præparavit virginem sacratissimam, in qua & per quam humana carne indutus habitaret unigenitus DEI: quam proinde jure merito Ecclesia salutat *Fœderis Arcam*, hæc est enim cujus ope fœderantur diu repugnantia, cujus inquam ope terrenis cœlestia, humanis divina junguntur: Hæc est teste *Ioan. Damasc. Sacra & animata Arca Dei, quæ suum in utero gestavit artificem.*

## §. 2.

Quod si ad Etymologiam nominis *Arca* attendamus, ipsa quoque Virgini sacratissimæ congrue adapatur: *Arca* enim idem sonat quod *Arcana custodiens* vel quasi *auri custos* & secundum *Isidorum* dicitur ab

tur ab arceo eò quod visum ab eo quod in  
 ea occultatur arceat; potest etiam dici ab  
 arcano quia *Arcanæ res occultantur in ea*: cer-  
 te Virgo beatissima talis fuit Arca, quia ni-  
 mirum præstantissimus ille auri thesaurus  
 Christus Dominus, in quo teste *Salomone*  
*sunt omnes thesauri sapientie, & scientie Dei*  
*absconditi*, in ea occultatus fuit. Amplius si-  
 cuti *Arca testamenti à Moysè* eo fine fabrica-  
 ta erat, ut in ea conservarentur leges in la-  
 pideis tabulis scriptæ: *Manna* quoque &  
*virga Aaronis*, quæ floruerat: sic & in hac  
*Arca animata* quam Deus ipse fabricavit,  
 juxta quod scriptum est *Pf. 86. Ipse fundavit*  
*eam altissimus* non figura, sed veritas, Man-  
 na divinitatis, anima Christi per tabulas la-  
 pideas, & caro ejus virginea per virgam  
 Aaronicam designata, continebantur. Ar-  
 ca quidem legem intra semetipsam habe-  
 bat, MARIA verò Evangelium continebat,  
 Arca Dei vocem, MARIA Dei verbum ha-  
 bebat: Illa auro intus forisque hæc intus  
 forisque virginitatis splendore radiabat,  
 hæc est enim Arca de qua scriptum est. *Pf.*  
*131. Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca*  
*sanctificationis tue.* Hæc omnia hucusq; di-  
 cta pul-

Ita pulcherrimis ostendit verbis *Mellifluus*  
*Bernardus*, simul hujus divinissimæ Arcæ  
 excellentiam & dignitatem demonstrans:  
*serm. de B. MARIA tom. 5. mihi pag. 277. Arca*  
*inquit testamenti, typum tenet sanctæ Dei geni-*  
*tricis. Illam fecit Bezeleel istam condidit Em-*  
*manuel. Bezeleel Oliab in opere socium habuit,*  
 & virgo quoque virginum condita, præ-  
 lecta, præservata, & ornata per Spiritum  
 sanctum, & ejus omnipotentem filium fuit. Be-  
 zeleel interpretatur umbra Dei, Oliab prote-  
 ctio mea, prior ille Spiritus sancti, iste vero ty-  
 pum tenet filij Dei. Bezeleel ergo cum socio Ar-  
 cam testamenti fubricavit, sancta quoque Tri-  
 nitas Virginem sibi sanctificavit, ac templum  
 sanctissimum consecravit, hospitiumq; mun-  
 dissimum sibi preparavit, thalamum quoq; de  
 quo sponsus præ filijs hominum speciosus ad pub-  
 licum produceret decenter præornavit. Pater  
 ergo in consecratione virginis exhibuit clarita-  
 tem, filius humilitatem, Spiritus sanctus chari-  
 tatem. Pater lumen exhibuit rationis, filius ci-  
 nerem humiliationis, Spiritus sanctus oleum  
 dilectionis. Pater exhibuit potentiam, filius sa-  
 pientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum  
 gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum,  
 filius

filius

*filius humilitatē contra superbiam, Spiritus S. charitatem erga Deum & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionem, Pater caelestium contemplationem. Filius eam docuit divina operari, Spiritus sanctus amare & amari, Pater caelestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus eam provehit, Pater eam perficit, Filius eam purificat, Spiritus eam pacificat: Pater eam honorificat: Arca vero testamenti de lignis Sethim facta est: & MARIA de sponso & hispido Iudaorum populo & arido procreata est, qui utriusque spinosus detractio-  
 ne hispidus superstitione aridus fuit unctio-  
 ne gratiae. Unde spinosus spineam coronam regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis exarsit. Sethim enim interpretatur spinae. Ad commendationem verò gratiae suae, & ad destructionem humanae sapientiae Deus de foemina sed Virgine descendente de spinosa Patrum origine dignatus est carnem assumere, ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissime deleret. De lignis ergo Sethim condita est Arca, in qua thuribulum mannae & virga sunt recondita, quia licet MARIA de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem,  
 praele-*

*praelecta tamen per Spiritum sanctum, & preservata ad purum DEVM nobis obtulit & hominem.*

Hucusque Doctor Mellifluus *Bernardus* tanta eloquentia, *Arcae mysticae Virginis* sacratissimae dignitatem describens, ut quid illi amplius addi possit non videam.

## §. 3.

**S**ed praeter haec omnia quae *Arcae mysticae* conveniebant, & beneficia quae *Israëlitis* intuitu *Arcae foederis* collata sunt, eadem etiam nobis at longe excellentiori modo conferuntur: utique ex paucis multis recenseamus, uti olim teste *sacra Script.* *Obededom* à Deo singulariter benedictus est, eò quod *Arca* in domo sua tribus solummodo mensibus quievisset: in tantum ut eam *David* ob causam eandem ad se in civitatem *David* reduci jusserit: ita & modo singulariter eos à Deo benedici qui *Arcae mysticam*, *Virginem sacratissimam* in scrinio & habitaculo pectoris sui per amorem reconditã habent, extra dubium est. Hæc est enim vera illa *Arca* ex qua, & per quam *Dominus* nobis sicut olim *Moyse* ex *Arca* testamenti loquitur & nos solatur. Hæc est



est *Arca* illa, quæ nos die nocteque quamdiu in hac peregrinatione versamur, præcedit, & veluti viam monstrat, tandemque ad terram promissionis lacte & melle manantem cœlestem beatitudinem deducit, deductosque suo dulcissimo aspectu lætificat. Hæc est illa *Arca* quam Dominus in sanctuario templi poni præcepit *Paral. 35.* quo templo nisi cœlestis illius *Ierusalem* cuius Dominus templum est. Hæc est *Arca* illa supra quam *propitiatorium* collocatum est, per quam nobis propitiatur Deus, & sine qua non est propitiatio, ut jure merito de ea asserat *Seraph. Bonavent. in Psalt. Mar. Ps. 136.* *Non invenitur propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius.* Et causam subdens: *Per illam* inquit *peccata purgantur, & per fructum illius anima dealbantur: Per illam fit vera satisfactio de peccatis, & per fructum illius sanitas anima condonatur.* Ipsam proinde inclamemus cum *Psalmista Seraphico.* *Apud te propitiatio est Domina, & propter nomen tuum Domina propitiaberis peccato meo.* Nec ambigo quin multo majorem gratiam amatores ejus per continuam recordationem exspectare habeant ab *Arca MARIANA,*  
quam

quam olim à *Salomone* obtinuit *Abiathar*, sacerdos propter portatam coram  *Davide* *Arcam Domini*: Cum enim is propter con-  
 spirationem contra *Salomonem* Regem cū *Ioab Adonia* alijsque factam, mortis reus esset (jam enim ob eam causam interfici iussi erant *Adonias Ioab*, illisque similes) nihilominus mortis sententiam evasit, eo quod portasset coram  *Davide* *Arcam Domini*: ait enim ad eum *Salomon*: *Et quidem vir mortis es, sed hodie non interficiam te, eo quod portasti coram David Patre meo Arcam Domini Dei.* 3. *Regum* 2. Nimirum tantum valuit apud *Salomonem* *Arce fæderis* portatio, ut propter eam mortis promeritam sententiam remitteret: quanto ampliorem gratiam obtenturos speramus eos, qui *Arcam mysticam* *Virginem beatissimam* quotidiano cultu venerantur, eamque jugiter portant: indubie evadent æternæ mortis sententiam: *Non enim perire potest*, ut ait quidam pius author, qui *MARIÆ sedulus cultor fuerit.*

## §. 4.

**A**Mplius sicut olim obsidentibus filijs *Israël* civitatem *Iericho* per solius *Arce* cir-

cæ cir-

cæ circumlationem muri civitatis corruerunt: Mandaverat enim Deus *Iosue* ut *Arca Dei* quotidie circumcirca urbem per sacerdotes deportari juberet & hoc diebus septem, septimo siquidem die muros civitatis seipsis corruituros, ac ita cuilibet dandam opportunitatem eos transcendendi: Paruit divino mandato *Iosue* & ecce die septimo dum *Arca* circumfertur, corruunt muri Jerichuntini. Idem contingit si *Arca MARIANÆ* seduli cultores & veneratores simus: Non enim possunt infernales illius hostis munitiones subsistere, *Arca* hac sese præsentante: Hinc exhortatur Virgini Matri cliens devotissimus *Ioan. Damasc. Iubilemus in Arca Domini, & muri cadent Jerichuntini, contrariarum inquam potestatum infestæ munitiones.* Imo quod amplius. Hæc sola est illa *Arca* qua datur nobis triumphare de hostibus infernalibus, sine qua nullus portum salutis attingere valet, ideoq; eam *Arca à Noë fabricatæ comparaverit citat. Bernard.* sicut enim extra *Arcam Noë*, in diebus diluvij non erat salus, sed omnes qui in ea non erant, aquis præfocari necesse fuit, sic quoque solos illos qui *Arca MARIANÆ*

RIANÆ inhabitant eiꝛue firmiter per cul-  
 tum & venerationem inhærent saluari ali-  
 os omnes perire necesse est: non est inquit  
*Bonavent.* qui saluus fiat nisi per te: sed jam  
*Bernardi* verba audiamus: *Arca etiam Noë*  
*significavit Arcam gratiæ, excellentiam scili-*  
*cet MARIÆ: sicut enim per illam omnes eva-*  
*serunt diluuium: sic per istam peccati naufragi-*  
*um. Illam Noë ut diluuium evaderet fabrica-*  
*vit: istam Christus ( qui est pax nostra & re-*  
*quies) ut humanum genus redimeret sibi præ-*  
*paravit. Per illam octo anima tantum salvan-*  
*tur: per istam omnes ad æternam requiem quæ*  
*per octonarium numerũ significata est vocan-*  
*tur: per illam paucorum facta est liberatio: Per*  
*istam humani generis salvatio. Illa centum an-*  
*norum fabricata est spatio: in ista omnium vir-*  
*tutum fuit perfectio. Ista facta est de lignis le-*  
*vigatis: ista de virtutibus adificata est con-*  
*summatis. Illa superferebatur aquis diluuij,*  
*ista non sensit naufragium ullius vitij.*